

V I R I
SVMME REVERENDI, DOCTISSIMI,
FAVTORES MVLTIS MIHI NOMINIBVS
COLENDI,

Providentia divina factum est, ut eruditionis, virtutis ac pietatis praemia vobis darentur luculentissima. Muneribus enim condecorati amplissimis, novam de republica Christiana bene merendi nacti estis occasionem. Quae res mihi visa est tanta, ut eam silentio non possem praeterire. Etenim plura in me extant favoris, benevolentiae amicitiaeque VESTRAE documenta, ut veterno quasi gravi torpere mihi viderer, nisi oblata hac opportunitate, animum meum vobis deditissimum palam declararem. Tu quidem, NITZSCHI LONGE AESTVMATISSIME, me semper in carissimis habuisti, ita, ut ab ineunte aetate in schola Provinciali Misenenfi, in te comitem studiorum meorum, et ut verum dicam, antesignanum, conspicerem. Quae caritas mirum in modum crevit in Academia Vitembergensi, ut illud tempus inter jucundissimam et felicissimam vitae meae partem semper sim relaturus. Eiectus deinde ad summa ecclesiae munera, quae eruditione, virtute, integritate promeruisti, candor ille animi tui infucatus mansit, et multis benevolentiae amicitiaeque documentis comprobatus est et auctus.